



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Sectio III. Eadem Aduocatio apud Ducem Luxemburgensem hæreditario  
Jure semper mansit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

moriam excedente, eiusmodi fuit, ut Principes Luxemburgenses perpetuò & in omnibus casibus se offerentibus, Protectionem Maximinianam in bonis tam extra, quam intra Luxemburgense territorium sitis, exercuerint, quam ob causam Principibus Luxemburgensibus præstantur à Maximinianis & semper præstita fuerunt seruitia, quæ habentur fusè partim in citatis sæpiùs instrumentis Henricorum Imperatorum Nigri, Senioris, Iunioris & Conradi II. Comitis Luxemburgensis, partim in antiquissimo Abbatis Bartholomæi libro ante annos CCCC. conscripto.

### SECTIO III.

#### *Eadem Aduocatia apud Ducem Luxemburgensem hæreditario Iure semper mansit.*

**P**ER continuam Comitum ac Ducum Luxemburgensium seriem præfatam Aduocatiâ inde à primo vsque ad hodiernum regnantem Regem Catholicum, Ducem Luxemburgensem iure Successionis deuolutam, ac consequenter hæreditariam & huic familiæ quodammodo innatam ac omnino propriam esse, iam euidentius esse puto, sed insuper confirmatur rationibus & considerationibus sequentibus.

Ut ex eo, quòd cum vnica filia hærede tertio Aduocatia transferit ad eos, ad quos transiit Comitatus vel Ducatus Luxemburgensis hæreditas; primò quidem in Ermesinda PRIMA ad Namurcenses, inde in Ermesinda SECUNDA ad Limburgenses, ut pluribus supra ostensum, tertio in Maria Burgundica Caroli Audacis filia ad Domum Austriacam & Hispanicam. Vide Martinum *de Aduocatia armata*, c. 9. 11. 26. pag. 442. & seqq. vbi ostendit & in muliere posse esse Aduocatiâ, & in maritum communetque liberos deinceps transferri.

Ad hæc ex eo quòd Ioannes CÆCVS Rex, diuidens testamento hæreditates, illi transmisit Aduocatiâ, cui transmisit Comitatum Luxemburgensem, scilicet Wenceslao Iuniori natu, quem Aduocatum Maximinianorum agnoscit maior natu Carolus IV. Imp. sicut agnoscebat Comitem Luxemburgensem, iuxta litteras sub Num. 38. Namque Comitatu Luxemburgensi tanquam Imperiale beneficium annexa erat Aduocatia Maximiniana: vnde Imperatores Aduocatiâ committentes Comitibus Luxemburgensibus, vel de eius iuribus agentes, agunt simul de Successoribus eorum. Henricus NIGER Imp. Giselberto Comiti Luxemburgensi declarans quid Iuris ratione Aduocatiæ haberet, in suis de anno MLVI. sic loquitur, *Aduocatus verò Giselbertus, qui in presentiarum est, alijque Successores ipsius, qui bannum à Regia manu susceperint, proxima die post Festum S. Maximini & placitabunt.* vide sub Num. 24. Henricus SENIOR Imperator Conrado Comite Luxemburgensi petente, iura Aduocatiæ suæ illi exponens anno MLXV. sic habet, *Chuonrado etiam Comite, & eiusdem loci Aduocato annitente & summo petente, assensum prabentes & paterna traditioni (Giselberti enim patris iura Conradus sibi filio declarari petebat) per omnia consentientes & constituimus &c. & mox infra. Aduocatus vero Chuonradus siue Successor ipsius qui bannum à Regia manu habuerit & placitabit &c.* Henricus IUNIOR Imp. anno MCXII. Guilielmo Conradi filio ius suæ Aduocatiæ exponens, sic prosequitur, *Aduocatus verò VVilhelmus Comes, qui in presentiarum est, siue Successor eius, qui bannum à Regia manu susceperit &c.* vide litteras sub

Num. 30. Carolus IV. Imp. committens Wenceslao Comiti Aduocatiam sic scribit, *Illustri Wenceslao Comiti Luxemburgensi fratri nostro charissimo, aut ei, qui pro tempore ibidem esset Comes &c.* vide sub Num. 38. Fridericus IV. Imp. in suis hæc habet. *Illustri Duci Luxemburgensi Principi & consanguineo nostro charissimo presentibus & futuris, quibus presentes exhibita fuerint.* vide litteras sub Num. 47. Sed & Conradus in suis de anno MCXXXV. sub Num. 32. prædictorum modum loquendi fatis exponit. Postquam enim Aduocatiæ suæ iura explicasset, sic concludit: *Hæc igitur per sententiam nobis dicta, & in privilegio Domini Henrici IV. Regis Romanorum, alijsque privilegijs Romanorum Imperatorum & Regum expressa & confirmata, rata habemus, nobisque & omnibus Successoribus nostris inuolubiliter tenenda in perpetuum relinquimus.* Ex quibus plus quàm sufficienter liquet, Aduocatiæ Maximinianæ Principibus Luxemburgensibus hæreditariam esse, & à maioribus ad posteriores iure successiõnis deuolutam.

Denique ex seruitiis, quæ ratione Aduocatiæ debebantur Principibus Luxemburgensibus, non ut Giselberto, Conrado &c. sed ut Comitibus Luxemburgensibus, unde & antiquissima Monasterij monumenta & documenta sic habent: *Hæc sunt curia, quæ Comiti Luxemburgensi debent seruitium, Mudeuurt, Mambre, Sconeberre, Merttert, Lindiche &c.* considera Diplomata Imperatorum supra citata, scilicet Henrici Nigri, Senioris, Iunioris, Caroli IV. Friderici IV. Itemque Conradi Comitum, videbis præfata iura & seruitia Comitibus Luxemburgensibus, eorumque Successoribus à tot sæculis debita & adiudicata fuisse.

#### CONCLUSIO.

**E**X ijs, quæ hoc capite relata sunt, manifestè concluditur, Hispaniarum Regem potentissimum hodie feliciter regnantem, eius maiores, quatenus Duces Luxemburgenses iure hæreditario & irrefragabili Aduocatiæ supremam & vniuersalem in Abbatiam Imperialem S. Maximini eiusque omnem ditionem exercuisse & exercere, atque ad hoc officium præstandum, non modo impelli ab ingenita sua Clementia & Magnitudine, quo omnes sibi à maioribus traditos Clientes Regiæ tuentur, verum etiam ob seruitia, quæ hodieque *Schirmsfrucht* / *Schirmgelt* / *u.* id est fruges, pecuniæ protectoriales, vocantur, & quotannis ipsi à Maximinianis subditis præstantur, & à Regijs quæstoribus recipiuntur, ad id iure obligari.

